

*Margherita di Sinopoli dona alcuni
beni feudali al figlio Enrico Ruffo*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Margherita di Sinopoli dona alcuni
beni feudali al figlio Enrico Ruffo*

1303-04-28

In nomine Domini Dei, Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi. Anno ab Incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo tertio, regnante Domino nostro Carolo Secundo Dei gratia Excellentissimo Rege Hierusalem, Sicilie, Ducatus Apulie, Principatus Capue, Provincie, et Folcalquerii Comes, Regnorum eius anno nonodecimo feliciter Amen. Die vigesimo octavo mensis Aprilis prime indictionis apud Neapoli.

Nos Riccardus Seripandus miles Iudex annualis, Bartholomeus Mariella publicus Civitatem eiusdem Notario, et testes subscripti ad hoc specialiter vocati, et rogati, presenti scripto publico notum facimus et testamur quod constituti coram nobis nobili Domina, Domina Margarita de Sinopolo, matre Domini Henrici Ruffi de Calabria, iure romano et more francorum vivente ex una parte, et eodem Domino Henrico ex altera, consensientibus in nos qui supra Iudices, et Notarium, tamquam in suos cum sciret, ex certa scientia nos suos eadem praedicta Domina materno concurrens affectu, quem idem Dominus Henricus eidem Domine Margarithae semper exhibuit, et exhibere non cessat instrumentum insinuationis solemne, et omnia alia iuris solemnitate donationis titulo inter vivos donavit eidem Domino Henrico castrum suum Sinopoli situm in partibus Calabriae, et omniam alia bonam sua que habet ibidem cum Hominibus, Vassallis, iuribus, iurisdictionibus et pertinentiis suis omnibus; exceptis bonis que eadem Domina Margarita habet et habeat in Mayda et in Casali Lacconie, et bonis que habet et habebat in loco que dicitur Craputo sitis in eiusdem partibus Calabriae, et exceptis pecuniis, et boni mobilibus que dicta Domina habet in dictis

partibus Calabrie et quomodocumque debentur eidem ex debita causa omnia alia in partibus supradicta Calabrie donavit eidem Domina, Domina Margarita Domino Henrico filio suo instrumento insinuationis solemne omnia bona mobilia, se sequae moventia, iura, et actiones competentes, et competentia competituris et competitura. Dans et concedens dicta Domina Margarita licentiam, potestatem, et auctoritatem dicto Domino Henrico super omnia et singula predicta bona sita in Calabria, quam in Sicilia, ut possit auctoritate propria, capere sine iure, et licentia Curie, et cuiuslibet Iudicis seu Rectori ipsis tenere et possidere, ac infallibiliter tenenda eadem, et alia eorundem petere, et proseguere tam in iudicio quam extra iudicium, atque recipere et possidere, ut quilibet Dominus de re sua facere potest, consuevit, et debuit, et volens dicta Domina Margarita quod dicta donatio plenam habet, firmitatem statuit, voluit et ordinavit, atque convenit cum predicto Domino Henrico volenti ..., et recipienti donat habet, donationis, et refutationis qua faciebat, et facit eidem domino Henrico ad quem de iure spectat, eadem Domina Margarita, pro amore debito, cum nullum alium filium habeat omni iure, et modo quo melius, et decentius valere potest, et debet; promisit eadem Domina Margarita, per stipulationem solemnem predicto Domino Henrico solemniter stipulanti predicta omnia, et singula habere firma, et rata, nec annullare aliqua causa tam de iure, vel de facto, per quemcumque via ordinaria, vel extraordinaria, principale, vel commune, in iudicio, vel extra iudicium, non impedire, neque impedire facere, quo minus Regius consensus habeatur, et obtineatur in premissis ad abundantiorum cautelam omnium premissorum, vel predicto Domino Henrico, pro se, suisque Heredibus

Uncia auri centum Regie Curie, meque notario publico, tamquam persona publica pro parte Curie poenam ipsam, solemniter stipulans. Idcirco poena ipsa, semel, et pluries, et quoties ipsa contravenerit, solvere debet; alias non soluta, predicta omnia, et singula in suo valore persistent; et ad cautelam valorem seu firmitatem, omnium predictorum, et singulorum, predicta Domina Margarita tactis Sacrosanctis Evangeliiis corporaliter, per eadem Sacrosancta Evangelia iuravit, dicta omnia et singula semper habere rata, et firma, et inviolata servare, et servare facere, vel venire de iure, quam de facto in iudicio, vel extra iudicium, per quamcumque via ordinaria vel extraordinaria, principalem, seu communem, aliqua ratione vel causa;

et renunciavit ex certa scientia de premissis omnibus presens instrumentum publicum per manus Notarii Regii et sigillo pendente predictae Domine Margarita, et sigillo pendenti Iudicem et subscriptorum testium subscriptionibus roboratum, quod scripsi. † Ego predictus Bartholomeus Mariella publicus et Regius Notarius rogatus interfuit, meo solito signo signavi. † Ego Riccardus Seripandus miles et Iudex qui supra subscripsi. † Ego Franciscus Prianus miles subscripsi. † Ego Bartholomeus Crogniolos miles subscripsi. † Ego Loisius Aurea miles subscripsi. † Ego Christofarus Maroganus miles subscripsi. † Ego Ianuarius Capuanus testis subscripsi. † Ego Notarius Bartholomeus Zaza testis